

In Floram Europaeam animadversiones

Autor(en): **Laínz, M.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Candollea : journal international de botanique systématique = international journal of systematic botany**

Band (Jahr): **24 (1969)**

Heft 2

PDF erstellt am: **03.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-880187>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

In Floram Europaeam animadversiones

M. LAÍNZ, S. J.

RÉSUMÉ.

L'auteur, qui s'occupe en premier lieu de la flore du nord-ouest de l'Espagne, présente quelques remarques sur le deuxième volume de "Flora Europaea" récemment publié. Des remarques additionnelles, non encore publiées par l'auteur ni par d'autres, concernent le premier volume de cette Flore. Quatre combinaisons nouvelles sont proposées.

SUMMARY.

Some comments are made on the recently published second volume of "Flora Europaea" by an author who works primarily on the flora of northwestern Spain. Additional comments, not previously published by the present author, nor by others, concern the first volume of this Flora. Four new combinations are proposed.

ZUSAMMENFASSUNG.

Der Verfasser, welcher sich in erster Linie mit der Flora Nordwestspaniens abgibt, bringt einige Bemerkungen zum kürzlich erschienenen zweiten Band von "Flora Europaea". Zusätzliche, bisher weder vom Verfasser selbst noch von anderer Seite veröffentlichte Bemerkungen betreffen den ersten Band dieser Flora. Vier Neukombinationen werden vorgeschlagen.

Nonnullas ego animadversiones, sub meo potissimum respectu regionali, faciendas censeo in nuperrime editum secundum volumen operis quod "Flora Europaea" inscribitur. Has autem animadversiones utiliores futuras spero volventibus volumen si eas exposuero coniunctim, non vero disperse ut proximis superioribus annis in opusculis non adeo diffusis frequenter feci. Nonnullas etiam, nondum factas, in primum eiusdem operis volumen sub huius opusculi finem addere conabor.

Incipiamus igitur ab illis rebus quae propius ad taxonomiam, necnon ad nomenclaturam et nominum auctores spectant, eo quod omnium generaliter intersunt.

Chater (l.c.: 118-119) sub *Astragalo sempervirenti* stirpem "Subsp. *muticus* (Pau) Rivas Goday & Borja, Anal. Inst. Bot. Cavanilles 19: 406 (1961)" inscribere opportunum duxit; sed status, quem dicunt, non iure propositus fuerat loco ab eo indicato, quamobrem hic iterum proponendus: **A. sempervirens ssp. muticus** (Pau) Laínz, **stat. nov.** (basion. *A. muticus* Pau, Notas botánicas á la flora española 2: 8. 1888). Quoad formas huius speciei multo abhinc tempore in Cantabria repertas (vide Laínz 1954: 101-102 auctoresque ibi memoratos) quarumque Chater prorsus obliviscitur, cum e dubio nostro recentiore (Laínz 1961: 166) nuper exire fas fuerit, eas tum a *mutico* tum a typico *sempervirenti* satis differre affirmandum, non vero a stirpe sic nomine donanda: **A. sempervirens ssp. catalaunicus** (Br.-Bl.) Laínz, **comb. nova** (basion. *A. nevadensis* ssp. *catalaunicus* Br.-Bl., Trav. Soc. Pharm. Montpellier 4: 228. 1945). Sententia nostra, ut patet, cum negat subspeciem *sempervirentem* ex Alpibus et Apenninis "to N. E. Spain" (Chater, l.c.) pervenire, tum affirmat, aliter ac Baudière & Cauwet (1969: 9), in Gallia austro-orientali et in Hispania septentrionali et centrali veram subspeciem *nevadensem* (Boiss.) Montserrat minime adesse. Innuere demum oportet chartam a Gams (1956: 222) in lucem editam optimis documentis scientificis non fulciri.

Astragalus incanus ssp. *macrorrhizus* (Cav.), combinatio a Chater in Feddes Repert. 79: 52 nuperrime proposita ("30.8.1968" in ephemeridum fronte) inque "Flora Europaea" de more adhibita (l.c.: 122), status vere novus fuerat a nobis in barcinonensibus Collect. Bot. 7: 583 propositus, cum ephemeridum harum volumen, per annos complures degens sub prelo, demum distributum fuerit exeunte mense aprili vel maio ineunte 1968. Hac in quaestione omni iure mentio facienda est de contributione clarissimi Cuatrecasas (1929: 336-341).

Bonum etiam fuisset non prorsus oblivisci binominis *Astragalus nitidiflorus* Jiménez & Pau (Pau 1910).

Lathyrus pannonicus ssp. *longestipulatus* Laínz (1961: 166-167) trinomen substituendum illo *L. pannonicus* ssp. *hispanico* "(Reverchon)" Bässler (1966: 89) ≡ *L. Lacaitae* Czefranová (1965: 155). Oportet etiam videre quae de re morphologica, necnon et chorologica ("C. & E. Spain" Ball, l.c.: 139, inaccurate subscribit), loco citato diximus.

Lathyrus paluster ["palustris"] ssp. *nudicaulis* (Willk.) P. W. Ball, combinatio quam auctor nullo argumento stabilivit itemque in "Flora Europaea" usurpavit (l.c.: 140), infelix sane videtur. Experientia enim nostra in regione cantabrica, et praeterea typo Willkommiano Conimbricae a nobis inspecto, constat nullam speciem prope Bilbao crescere in seriem *Palustrium* Bässler – cui is auctor (1966: 87) *L. nudicaulem* "(Willk.) Samp." adscribit – recte inducendam. Sententia de plantis lusitanicis a perillustri Sampaio (1922: 131-132) exposita cum nostra congruit. Hac de re ulterius dicemus.

Distributio quae *Loto pedunculato* Cav. assignatur ("W. & C. Spain, E. C. Portugal", l.c.: 175) nobis in memoriam revocat chartam a domina Žertová (1966: 85) confectam, de qua scribere supervacaneum iudicaretur. Difficultas in eo est quod solutio morphologica problematis satisfacere non videtur nomenclaturae compromisso, quod quidem aperte probat ipse "*Lotus granadensis*" Žertová (1966). Hoc revera inconcussum nec levioris momenti est, nempe binomen *L. uliginosus* Schkuhr editum esse post binomen *L. pedunculatus*; quod quidem notandum atque extollendum omni iure duximus (Laínz 1960b), cum peritissimi viri hoc iam indicavissent neque ullam nos novitatis laudem appeteremus: neque Janchen (1964: 46, "Die von M. Laínz 1960 vorgeschlagene Umbenennung...") neque Žertová (1966:



Fig. 1. — *Eryngium Duriaei* Gay ex Boiss. qualis apparet per iuga montium saltem a “loco classico” (Cueto de Arbas, in parte occidentali provinciae Asturias) usque ad iuga Peña Trevinca (Orense-Zamora).



Fig. 2. — *Eryngium Duriaei* ssp. *juresianum* (Laínz) Laínz lectum ad oram maritimam gallaecicam, bene congruens cum specimenibus e montibus Sierra de Jurés et regione ulteriore confinium lusitanorum.

79, "...er auch eine Reihe von Ansichten älterer Autoren von Floren, hauptsächlich aus dem westlichem Teil des Mittelmeergebietes, anführt") haec sua iudicia satis accurate perpenderunt.

Contributionem nostram relate ad holotypum *Loti subbiflori* Lag. indicare hic opportunum duximus (Laínz 1961: 165).

Quoad *Pistaciam* L., tam in pagella 237 quam in voluminis indice magno stupore legimus "*P. x raportae* Burnat", cum Burnatianum epitheton virum satis notum G. de Saporta honorare intendat.

Helianthemum lavandulifolium Miller, cuius quidem *H. racemosum* (L.) Pers. synonymon omnino non esset, in sensu traditionali quem dicere possumus admittitur (l.c.: 287) nec allusio fit prius vel posterius ad interpretationes vel typificationes de quibus aliqua iam scripta sunt (cf. Pau 1918: 125; Davis 1965: 510-511; Greuter 1967: 55-57). Facilius intellegimus cur mentio nulla facta sit de stirpibus adhuc sub iudice vel paulo ante descriptis — quas inter *H. Fasciculi* Greuter, *H. Rothmaleri* Huguét del Villar vel nostrae subspecies *cavanillesianum* et *cantabricum* polymorphi *H. crocei* —, siquidem vera revisio seu studia critica per partes praebeant occasionem opportunam ad iudicia firmanda tempore inerrabili futuro.

De *Fumana paradoxa* Heyw. nonnulla iam diximus (Laínz 1964: 191).

Lythrum castellanum tribuitur (l.c.: 301) quidem auctori cui, ut nuperrime scripsimus (Laínz 1968b: 14), non pertinet. Scribi debet: González-Albo ex Caballero, Anales Jard. Bot. Madrid 7: 666. 1947. Notandum praeterea opusculum amicissimi Borja locum assignare huic speciei non solum in provinciis Albacete et Ciudad Real, sed etiam in provincia Cuenca.

Ratio qua de synonymis in genere *Cornus* L. mentio fit (l.c.: 313) nobis apta non videtur.

Anno 1964 extulimus (pag. 196) validitatem iuxta opinionem nostram binominis *Eryngium Duriaei* Gay ex Boiss., quod hodie Chater (l.c.: 322) suum facit; anno vero 1966, cum describeremus stirpem geographicam *E. Duriaeanum* Gay ssp. *juresianum* Laínz, Anales Inst. Forest. Invest. 10: 312. 1966, visum est nobis securius synonymon tenere cuius validitatem nemo impugnandam iudicaret. Cum pulcherriman hanc stirpem postea inveniremus in ipso litore gallaecico (El Pindo, Carnota, La Coruña; vide tabulam II), proposuimus statum *E. juresianum* (Laínz) Laínz, Anales Inst. Forest. Invest. 12: 34. 1967. Nunc autem, iuxta placita eorum qui eam habent saltem subspeciem, ei donemus trinomen ***E. Duriaei* ssp. *juresianum*** (Laínz) Laínz, **comb. nova**. Semina quae Professori Löve misimus, proh dolor !, non germinarunt; itaque numerus chromosomicus tam speciei quam subspeciei — quarum quidem non desunt specimina in herbariis, potissimum hispanicolusitanicis — ignotus manet.

Minime perspicuum est — quamquam certe de quaestione mere historica agitur — *Myrrhidem sulcatam* Lag. synonymon esse *M. odoratae* (vide indicem voluminis et Laínz 1958: 443-444).

In genere *Conopodium* Koch (l.c.: 329-330) miramur contrapositionem chorologicam et morphologicam inter *C. pyrenaicum* (Lois.) Miégeville et *C. Bourgaei* Cosson; quo in genere videre oportet contributiones nostras nuperrimas (1968b: 19-20), non tamen exhaustivas. Magis quidem miramur spem *C. pyrenaei* subordinandi *C. maiori* ["*majus*"] (Gouan) Loret !

Petroselinum peregrinum (L.) Lag., si revera non alienum a *P. crispum* (Miller) A. W. Hill — vide indicem voluminis — nomen videretur quo donanda esset misera culta species.

Carum foetidum (Cosson & Durieu) Benth. & Hooker fil. ex Drude indicatum est (Pau 1901) fundamento non levi, nomine *Selinopsis foetida* Cosson & Durieu, in provincia Murcia; nec novimus indicationem multiplicem, solam europaeam, quisquam impugnasse (cf. Wolff 1927: 157-158).

Absque dubitatione ulla recipitur (l.c.: 361) ut vera species *Peucedanum aragonense* Rouy & Camus, de quo abhinc aliquot annos diximus (Lainz 1963a: 58) nobis videri phantasma quoddam: nemo enim vidit fructiferum, credimus, tale *Peucedanum* calicophilum. In omni hypothesi, certum erat *Seseli cantabricum* Lange sese protendi per montes qui nomen audiunt Macizo Ibérico; quod quidem ignoratur a Ball (l.c.: 336), dum Tutin suum *P. aragonense* usque in provinciam Oviedo spargit, me Hercule! Imperitissimi Gandoger confusiones iam in opusculo anno 1956 edito (pag. 541) a nobis notatae sunt. Quoad subordinationem illius "var. *aragonense*" (vide Rivas Goday & Borja 1961: 425) *P. officinali*, deducitur auctores pendere ab eo quod Debeaux, anno 1898, habuit *P. stenocarpum* prima specimina collectoris Reverchon; quod quidem Rouy & Camus (1901: 390) statim castigabant.

Ut nuperrime indicavimus (1968b: 18), combinatio *Elaeoselinum gummiferum* (Desf.) tribuenda est clarissimo Sampaio (1908: 51), qui iam tunc temporis optime impugnabat characterem ficti generis quod *Margotia* dicebatur.

Pseudorlaya minuscula (Pau ex Font Quer) Lainz haberetur ut species pure africana, descripta speciminibus e regione circa Larache venientibus. Quod autem nullo modo intellegi potest est quod Heywood (l.c.: 375) securus tantum sit de existentia speciei, quam pure europaeam habet, in Lusitania et Sardinia, cum certum sit *Ps. pycnacantham* Lindberg (1932: 112-114) descriptam esse speciminibus maroccanis et gallaecicis! Ille vero signum interrogationis apposuit siglis Hs = Hispania. Nunc autem proposita erat a nobis (1968b: 18) combinatio *Ps. pumila* ssp. *microcarpa* (Loret & Barrandon) Lainz, postquam nonnullis speciminibus a Loret et a Forsyth (Iter sardoum 1884) collectis studueramus; igitur, cum species europaea agnoscat sardiniensis, haec opinio taxonomica nostra fulcitur. Delendum tandem est signum interrogationis iuxta sigla Ga = Gallia.

Denique notandum complura esse non levioris momenti nomina ut mere synonyma recensita, nullis argumentis praemissis; quod quidem etiam facere oportuit — iuxta operis recensitae placita — in labore hoc taxonomico qui videri est in genere *Torilis* Adans. (l.c.: 371, Feddes Repert. 79: 62). Aliae omissiones — ut puta nostra ssp. *asturica* (Font Quer & Guinea) Lainz *Potentillae nivalis* (vide Lainz 1962: 19) — facilius intelleguntur, ut innuimus; sed forte non semper criterio obiectivo sunt admissae. V. gr., *Genista legionensis* (Pau) Lainz prorsus omittitur iuxta *G. Hystrix* ssp. *legionensis* (Pau) Gibbs, cum pharmacologus bernensis Steinegger nunc me moneat plantam meam "hystrina" carere; quae nova substantia (vide Steinegger & Moser 1967) propria est verae *G. Hystricis* Lange. Combinationi *Echinospartum lusitanicum* ssp. *Barnadesii* (Graells) Vicioso addenda est, procul dubio, finalis nota "ex Lainz".

Venio nunc ad animadversiones potius chorologicas seu geographicas, quas quidem non minoris momenti esse existimat omnis qui improbum laborem impendit in censum florum regionalis maioris nec admodum recognitae.

Geum pyrenaicum Miller, *Potentilla fruticosa* L., *P. Brauneana* Hoppe (vide Lainz 1961: 18-19), *P. cinerea* Chaix ex Vill. et *Sorbus Mougeotii* Soyer-Willemet & Godron — nec extra fines familiae *Rosacearum* eximus — protendant se in montes

Cantabros (vide l.c.: 35, 39, 43, 45, 69), longe ultra Pyrenaeos. Quaedam alicuius momenti scripsimus iam anno 1964 (pag. 194) de hac ultima specie, etsi pro tempore nomen non correctum scienter adhibuimus.

Astragalus danicus Retz., qui abesse videtur a Pyrenaeis gallicis et hispanicis, contra domini Chater opinionem (l.c.: 114) in paeninsulam plane intrat. Hispanica specimina e ditone Valdelinares (Teruel) clarissimus Font Quer suo "Herbario normal", num. 448, anno 1948 evulgavit; vides sis iconem in *Anales Inst. Bot. Cavanilles* 19: 408. 1961. In contributionibus nostris iamiam edituris haec species etiam assignatur, pariter ac *A. australis* (L.) Lam., montibus Cantabricis. Atque in memoriam iterum revocemus (vide Laínz 1968a: 583), quoniam chorologice momentosum est, veteres indicationes nostras pulchri *A. turolensis* Pau in regione septentrionali, quas quidem Chater (l.c.) ignorare videtur.

Oxytropis Halleri Bunge ex Koch (vide l.c.: 126) sat abhinc temporis recognita est in omnibus montibus calcareis Cantabriae, fere usque ad iugum Puerto de Somiedo.

Ubi de genere *Vicia* L. agitur, miramur interrogationis signum appositum *V. silvaticae* ["*sylvatica*"] L., dubitans utrum in Hispania inveniatur (l.c.: 132). Guinea in opusculo suo monographico (1953: 97) explicite affirmat non adesse documenta ulla ut ei hispanicam civitatem donemus. Veteres illae indicationes nec ullam fere auctoritatem neque verisimilitudinem habent.

Trifolium leucanthum M. Bieb., quod nos primi in Hispania recognovimus (Laínz 1955: 482, 497), parum adhuc nobis probabile videtur spontaneum esse (vide l.c.: 171), quamvis posterius id sat abundans vidissemus circa urbem etiam salmanticensem Peñaranda de Bracamonte, a finibus abulensibus... usque ad currus ferrei stationem.

Erodium Paui Sennen, planta calcicola, descriptum fuit ex monte Umión (Sierra de los Obarenes), in parte septentrionali provinciae Burgos; non quidem ex monte "Pico de Urbión" (l.c.: 203), sito inter provincias Soria et Logroño, ubi nullum est vestigium petrae calcariae. Hoc evidens erratum ex originali opusculo descriptum est. Opportunum videtur, bonis speciminibus collectis, stirpis valorem perpendere.

Quod autem ad *Linum alpinum* Jacq. spectat (vide l.c.: 209), in memoriam revocamus id a nobis passim indicatum esse in montibus Cantabricis (Laínz 1959: 683; 1960a: 21-22; 1963a: 57); ubi non tanta quanta in Pyrenaeis variabilitatem praebet.

Polygala Edmundi Chodat (vide l.c.: 235, 444; "edmundii", sphalm.) assignatur unice moli calcariae Picos de Europa, cum tamen hodie (cf. Laínz 1957: 151; 1958: 443; 1959: 684; 1960a: 22; 1964: 195-196) propria agnoscat longo tractu montium Cantabrorum: versus occidentem pervenit non modo usque ad Peña Ubiña, sed etiam usque ad iugum Puerto de Somiedo. Iam de speciei descriptione notandum est racemos bene evolutos grandiores esse, nullo modo "very short", atque iterum repetendum illud "small rosette below the raceme" a veritate abhorrere; addamus etiam capsulam, cum perfectum incrementum adepta sit, plane excedere 5 mm latitudinis (dimensio autem alarum est 5 per 8 mm), dum semen, cuius lobuli arillares breves sunt, habet 3 mm longitudinis.

Nova "*Polygala nicaeensis* subsp. *caesalpini* (Bubani) McNeill" ostentat lobulos arillares breves, ut iam Chodat (1913: 163-164) expresse notavit. De hoc characterе nulla mentio facta est in Feddes *Repert.* 79: 32. 1968, qui quidem negaretur in "Flora Europaea" 2: 234.

Polygala alpinum (Poiret ex DC.) Steudel alia est species a nobis identificata et indicata — quamvis hoc (l.c.: 236) prorsus ignoretur — ut sat frequens in rupestribus calcareis montium Cantabrorum (Laínz 1958: 443; 1961: 167-168). Basionymum, quod dicunt, videtur non a Poiret (in Lam., *Encycl. Méth.*, Bot. 5: 488. 1804), sed a de Candolle (in Lam., *Fl. Fr.* ed. 3, 3: 456. 1805) vere in lucem editum fuisse.

Malva Lagascae Lázaro & Tubilla et *M. Alcea* L., quam postremam numquam in regione vidimus, minime una eademque est (vide l.c.: 440). Et contra non invenitur in voluminis indice "*Malva geraniifolia* Gay" (cf. Lacaita 1929: 324-325), cuius holotypus asservatur in horto regio kewensi.

Neque a nobis visa est ullo loco montium Cantabrorum (vide: l.c.: 260) species *Thymelaea calycina* (Lap.) Meisner. Contrario tamen modo eius affini *Th. Ruizii* Loscos ex Ruiz Casaviella — cuius nomen pessime "Casav." scribitur — area mire circumscribitur.

Hyperico calycino L. (vide l.c.: 263) civitatem gallaecicam dederat iam Merino (1905: 252) in sua "standard" flora.

Viola cornuta L., prorsus typica, apprime cognita est in montibus Cantabricis — ubi iam circa 1767 collecta est (cf. Laínz 1963b) —, protendens se in partem occidentalem provinciae Oviedo seu Asturias (Laínz 1960a: 16). In praesentiarum, *V. pyrenaicam* Ramond ex DC. etiam cantabricam accipimus (vide l.c.: 273, 279; Laínz 1961: 161).

Epilobium Duriaei Gay ex Godron in sua "terra classica" superare abunde solet maximam longitudinem — 10 mm — quae eius petalis assignatur (l.c.: 309). Praeterea non recte eius semen describitur "with a prominent beak" (l.c.: 310).

In Hispania, *Pimpinella siifolia* Leresche cognita est non tantum e solitaria mole Picos de Europa (vide l.c.: 332), in qua primum inventa est, sed etiam e longo tractu — 100 pluries km — cui finem imponere videntur in parte occidentali margae ad iugum Puerto de Somiedo (Laínz 1960a: 23, 1962: 22).

De *Lilaeopside attenuata* (Hooker & Arnott) Fernald unice mentio fit (l.c.: 339) ut lusitana, advena, cum facile cognitu sit eam inventam esse multo ante in regione gallaecica (cf. Laínz 1967: 33-34).

Selinum pyrenaicum (L.) Gouan protenditur usque in montes Sierra de Gredos et Sierra de Guadarrama, in Hispania centrali (Leresche & Levier 1880: 117; Font Quer 1957: 296; Rivas Martínez 1964: 248-249). Quod autem ad *S. Broteri* Hoffmans. & Link spectat, id tantum esse merum synonymon *S. Caruifoliae* ["*Carvifolia*"] (L.) admittendum non videtur (vide: l.c. 355, 356, 450).

Ut tandem finem imponamus huic qualicumque critico labori, quasdam nondum factas addemus animadversiones in volumen primum.

Imprimis *Pulsatilla alba* Reichenb., quam Tutin ita locat "Mountains of C. Europe, extending to C. France and C. Jugoslavia" (*Fl. Eur.* 1: 220. 1964), etiam apparet, iudicio nostro prorsus typica, in parte santanderiensi regionis Campoo (Laínz 1964: 185). Utrum Zimmermann (1967: 167) prudenter agat cum nunc admittat binomen *P. micrantha* Sweet, non facile constat.

Anemone Pavoniana Boiss., sive autonoma est sive non — nos eam subspeciem alpinae *A. baldensis* L. habemus (cf. Laínz 1964: 183-184) —, certissime erronee assignabatur Hispaniae centrali (vide l.c.: 219).

In negotio illo de specie imaginaria *Draba cantabrica* Willk. deque specie alia regionali, reali, quacum postea una facta est, Walters non admodum felix fuit adhibens sigla "incl." atque mere subscribens post *D. Dedeanam* Boiss. & Reuter "A variant with yellow petals has been described, apparently in error" (l.c.: 309). Accurate legendae erant pagellae nostrae (Laínz 1961: 157-160), momentosae et perspicuae quidem, quibus stabilivimus identitatem inter speciem *Dedeanam* et illud figmentum Willkommianum. Item certum est cognosci hodie, ope laboris nostri, ex fere omnibus montibus Cantabricis *Drabam* quamdam petalis plane luteis, quae quidem affinis est speciei *D. aizoides* L., multo tamen diversa a specie regionali albiflora. Diligenter miseramus specimina exsiccata variis sociis et institutionibus quibuscum commercium scientificum habemus. Domina M.-M. Duckert computavit $n = 8$ in plantis e seminibus — ex iugo ad Peña Ubiña — quae ei miseramus (Favarger in litt. 10.9.1963). Post facta diversa iam exposita (Duckert & Favarger 1960: 115-116), hodie concedimus statum ulterioris speciei vicariae nostrae priscae *D. hoppeanae* Reichenb. ssp. *cantabriae* Laínz, Bol. Inst. Estud. Asturianos ser. C, 3: 157-158. 1961, sic in posterum designanda: **D. cantabriae** (Laínz) Laínz, **stat. nov.** (non *D. cantabrica* Willk., quae nihil aliud est quam *D. Dedeana* et petalis albis revera gaudet !).

Subspecies *pyrenaicum*, ut talis, *Sedi anglici* (vide l.c.: 361) non a Lange, sed certe a nobis (1963a: 51) proposita fuerat.

Post descriptionem, numerc insignitam et normalem sub typographico respectu, *Minuartiae olonensis* (Bonnier) P. Fourn., mirabilis videtur appendix illa "The existence of this species is doubtful" (l.c.: 132). Nunc vero quod minime dubium est illud est, quod combinatio Fournierana fundamentum habet in errore a Bonnier commisso (1913: 50), qui collocat illud suum mentis figmentum inter species "*Arenaria laricifolia*" et "*Arenaria fasciculata*", neque nobis indicat quae scripta beati Jordan aut quae eiusdem specimina sibi fundamentum dederint. Nos quidem videramus in herbariis diversa specimina Jordaniana insignita illo suo nomine "*Arenaria olonensis* Jord." — nudo ut videtur —, attamen omnia referenda ad veras *Arenarias* e grege *A. serpyllifoliae* !

Diphasium alpinum (L.) Rothm., *Equisetum variegatum* Schleicher ex Weber & Mohr, *Callianthemum coriandrifolium* Reichenb., *Ranunculus Gouanii* Willd., *R. carinthiacus* Hoppe, *Arabis ciliata* Clairv. (syn. *A. corymbiflora* Vest: cf. Burdet 1969) et *Ribes petraeum* Wulf. dicuntur sese protendi usque ad isthmum pyrenaicum (l.c.: 4, 7, 209, 228, 292, 383); nostra tamen scripta eas indigitarunt 100 pluries km in partem occidentalem (Laínz 1956: 149; 1957: 434-435, 439; 1958: 678; 1960a: 13, 14, 15, 19; 1961: 149-150, 155, 161; 1962: 5, 10, 14; 1963a: 50, 52; 1966: 312; 1967: 32); indigitatio autem prima *Callianthemum* coniugibus Dupont (1956: 321-322) debetur.

Amicissimo W. Greuter, nunc genevensi, subsidia bibliographica non pauca agnoscere debemus. Versionem latinam curavit carissimus Pater A. Díez Escanciano, S. J., legionensis, cui ex animo maximas gratias ago.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

- Bässler, M. (1966) Die Stellung des Subgenus *Orobus* (L.) Baker in der Gattung *Lathyrus* L. und seine systematische Gliederung. *Feddes Repert.* 73: 69-97.
- Baudière, A. & A.-M. Cauwet (1969) *Astragalus aristatus* L'Hérit. ? Ou *Astragalus nevadensis* Boiss. ? *Monde Pl.* 64/363: 7-9.
- Bonnier, G. (1913) *Flore complète illustrée en couleurs de France, Suisse et Belgique*, vol. 2 (136 pp.). Paris.
- Braun-Blanquet, J. (1945) Notes critiques sur la flore des Pyrénées orientales. *Trav. Soc. Pharm. Montpellier* 4: 219-236.
- Burdet, H. M. (1969) *Arabis ciliata* Clairv. *Candollea* 24: 139-143.
- Caballero, A. (1947) Ilustraciones de la flora endémica española. *Anales Jard. Bot. Madrid* 7: 655-691.
- Chodat, R. (1913) Remarques sur quelques *Polygala* espagnols. *Bol. Soc. Aragonesa Ci. Nat.* 12: 154-166.
- Chrtková-Žertová, A. (vide Žertová).
- Cuatrecasas, J. (1929) Estudios sobre la flora y la vegetación del macizo de Mágina. *Trab. Mus. Ci. Nat. Barcelona* 12 (510 pp.).
- Czefranova, Z. (1965) Conspectus criticus specierum sectionis *Orobus* (L.) Gr. et Godr. generis *Lathyrus* L. florum URSS. *Novosti Sist. Viss-Rast.* 1965: 152-167.
- Davis, P. H. (1965) *Flora of Turkey and the East Aegean islands*, vol. 1 (567 pp.). Edinburgh.
- Duckert, M.-M. & C. Favarger (1960) Recherches sur la flore du Jura. *Bull. Soc. Neuchâteloise Sci. Nat.* 83: 109-119.
- Dupont, P. & S. Dupont (1956) Additions à la flore du Nord-ouest de l'Espagne (1). *Bull. Soc. Hist. Nat. Toulouse* 91: 313-334.
- Font Quer, P. (1957) Acerca de algunas plantas raras, críticas o nuevas. *Collect. Bot.* 1: 261-314.
- Gams, H. (1956) Die *Tragacantha*-Igelheiden der Gebirge um das Kaspische, Schwarze und Mitteländische Meer. *Veröff. Geobot. Inst. Rübel Zürich* 31: 217-243.
- Greuter, W. & K. H. Rechinger (1967) *Chloris Kythereia simul purgatorium nomenclaturae florum graecae inchoatum*. *Boissiera* 13 (206 pp.).
- Guinea, E. (1953) *Estudio botánico de las vezas y arvejas españolas* (227 pp.). Madrid.
- Heywood, V. H. ed. (1967) *Notulae systematicae ad Floram Europaeam spectantes*. *Feddes Repert.* 79: 1-68.
- Janchen, E. (1964) *Catalogus Florae Austriae I. Teil: Pteridophyten und Anthophyten. Zweites Ergänzungsheft* (83 pp.). Wien.
- Lacaita, C. C. (1929) *Duriaei iter asturicum botanicum*. *J. Bot. (London)* 67: 107-113, 151-154, 207-211, 255-258, 310-318, 324-332.
- Laínz, M. (1954) Contribución al catálogo de la flora palentina. *Collect. Bot.* 4: 82-123.
- (1955) Contribución al catálogo de la flora salmantina. *Anales Inst. Bot. Cavanilles* 13: 469-498.
 - (1956) Aportaciones al conocimiento de la flora gallega, II. *Anales Inst. Bot. Cavanilles* 14: 529-554.

- Laínz, M. (1957) Aportaciones al conocimiento de la flora montañesa. *Collect. Bot.* 5: 147-158.
- (1958) Aportaciones al conocimiento de la flora cántabro-astur, II. *Collect. Bot.* 5: 429-460.
 - (1959) Aportaciones al conocimiento de la flora cántabro-astur, III. *Collect. Bot.* 5: 671-696.
 - (1960a) Aportaciones al conocimiento de la flora cántabro-astur, IV. *Bol. Inst. Estud. Asturianos* ser. C, 1: 3-42.
 - (1960b) *Lotus uliginosus* Schkuhr (1804), ein unausrottbarer Name? *Bull. Jard. Bot. Etat* 30: 35-36.
 - (1961) Aportaciones al conocimiento de la flora cántabro-astur, V. *Bol. Inst. Estud. Asturianos* ser. C, 3: 147-186.
 - (1962) Aportaciones al conocimiento de la flora cántabro-astur, VI. *Bol. Inst. Estud. Asturianos* ser. C, 5: 3-43.
 - (1963a) Aportaciones al conocimiento de la flora cántabro-astur, VII. *Bol. Inst. Estud. Asturianos* ser. C, 7: 35-81.
 - (1963b) Sobre las recolecciones botánicas mierenses del siglo XVIII. *Bol. Inst. Estud. Asturianos* ser. C, 8: 78-83.
 - (1964) Aportaciones al conocimiento de la flora cántabro-astur, VIII. *Bol. Inst. Estud. Asturianos* ser. C, 10: 173-218.
 - (1966) Aportaciones al conocimiento de la flora gallega, IV. *Anales Inst. Forest. Invest.* 10: 299-334.
 - (1967) Aportaciones al conocimiento de la flora gallega, V. *Anales Inst. Forest. Invest.* 12: 1-51.
 - (1968a) Nueva contribución al conocimiento de la flora palentina. *Collect. Bot.* 7: 573-596.
 - (1968b) *Aportaciones al conocimiento de la flora gallega, VI* (39 pp.). Madrid.
- Leresche, L. & É. Levier (1880) *Deux excursions botaniques dans le nord de l'Espagne et le Portugal* (196 pp.) Lausanne.
- Lindberg, H. (1932) Itinera mediterranea. *Acta. Soc. Sci. Fenn.* ser. B, 1/2 (178 pp.).
- Merino, B. (1905) *Flora descriptiva é ilustrada de Galicia*, vol. 2 (634 pp.). Santiago de Compostela.
- Pau, C. (1888) *Notas botánicas á la flora española, II* (40 pp.). Madrid.
- (1901) Una especie nueva para la flora de Europa. *Bol. Soc. Esp. Hist. Nat.* 1: 149-150.
 - (1910) *Astragalus nitidiflorus* Jiménez et Pau n. sp. *Bol. Soc. Aragonesa Ci. Nat.* 9: 130-131.
 - (1918) Plantas de Melilla. *Bol. Soc. Aragonesa Ci. Nat.* 17: 123-133.
- Rivas Goday, S. & J. Borja (1961) Estudio de vegetación y flórua del macizo de Gúdar y Javalambre. *Anales Inst. Bot. Cavanilles* 19 (550 pp.).
- Rivas Martínez, S. (1964) Estudio de la vegetación y flora de las sierras de Guadarrama y Gredos. *Anales Inst. Bot. Cavanilles* 21: 7-325.
- Rouy, G. & E.-G. Camus (1901) *Flore de France*, vol. 2 (440 pp.). Tours.
- Sampaio, G. (1908) Flora vascular de Odemira. *Bol. Soc. Brot.* 24: 7-132.
- (1922). Apontamentos sobre a flora portuguesa. *Bol. Soc. Brot.* ser. 2, 1: 124-136.
- Steinegger, E. & Ch. Moser (1967) Die Alkaloide von *Genista hystrix* Lge. *Pharm. Acta Helv.* 42: 177-182.

- Wolff, H. (1927) Umbelliferae-Apioideae-Ammineae-Carinae, Ammineae novemjugatae et genuinae. In A. Engler (ed.) *Das Pflanzenreich*, fasc. 90 (398 pp.). Leipzig.
- Žertová, A. (1966) Bemerkungen zur Taxonomie von *Lotus uliginosus* Schkuhr und *L. pedunculatus* Cav. *Folia Geobot. Phytotax. Bohemoslovaca* 1: 78-87.
- Zimmermann, W. (1967) Zur Taxonomie von *Pulsatilla*, *V. P. alpina* subsp. *alba* var. *decolorata* var. nov. *Feddes Repert.* 74: 167-170.